

1528

*Genua a
Cæsareanis
munita.
Franciscus
Borbonius,
Genua reli-
ctâ, Alexan-
driam se cõ-
fert.*

*Franciscus
Borbonius
copias au-
get.*

*Urbinaſis
& Borbonii
ad Divi
Nazarii
colloquium.
Theodorus
Triultius
arcem Ge-
nuenſibus
tradit.*

*Genuenſes
reformato-
res eligunt,
ut partem
libertatem
ſeruent.*

faverent, ſubſtitere; cum ad novas oppidorum oppugnationes impares eſſent, vehementer imminuto numero militum, qui præliorum, & certaminum ſpe, direptionum, & prædarum cupiditate, ſub ſignis continebantur. Huc acceſſerat, quod complures ſpe illecti, Gallis juncti Genuam contenderant: quapropter novos delectus haberi, ac tria militum millia in ſupplementum reliquis copiis addi Senatus juffit. Hoſtes de Borbonii itinere certiores facti, Genuam valido militum præſidio firmaverant, omnibuſque iis rebus, quæ ad ſuſtinendum hoſtium impetum neceſſaria eſſent, muniverant. Borbonius, qui jam cum copiis iter emenſus haud longe ab urbe ſubſtiterat, cum vires ad facinus aggrediendum pares non haberet, ſpe illius potiundæ dejectus, regredi in Inſubres ſtatuit, ſtationem Alexandriæ habiturus; ac ibi duo Germanorum militum millia, qui Lugduno in Italiam iter habebant, præſtolaturus: pecunia laboranti cum a Senatu octo aureorum millia commodari ſibi petiſſet, ultro miſſa ſunt. Per eos dies Petrus Franciſcus Pontremoli ortus e Galliis cum pecunia ſupervenit; atque inde Borbonius animo confirmatus augere exercitum, ac decem peditum millium delectum habere decrevit; cum interim Urbinaſis, Sfortiæ militibus ad præſidium Ticini relictis, cum reliquis copiis ad Abduæ fluminis ripas conſediſſet, nihilque, quod ad augendum, atque inſtaurandum exercitum pertineret, prætermitteret, quo denuo firmiori conſilio duplici exercitu Mediolanum aggredi poſſent: ita enim Franciſcus Borbonius, atque Urbinaſis Venetarum copiarum imperator ſtatuerant, cum, ut de omni re conſulerent, ad divi Nazarii oppidum conveniſſent.

Theodorus Triultius de Borbonii diſceſſu certior factus, omni ſubſidii ſpe deſtitutus, dedere arcem Genuenſibus coactus fuit, quam populus furore correptus, ac nomine libertatis concitatus ſtatim diruere, & diſturbare cœpit, donec ſolo penitus æquaretur. Eadem facilitate Savonæ civitas in Genuenſium poteſtatem conceſſit, inſperatæque libertatis auctorem Andream Auriam ſummis extulere laudibus, publiciſque monumentis ære, ac marmore inciſis illius memoriam ob ſingulare beneficium celebrem ad poſteros tranſmiſerunt. Rempublicam diverſis civium factionibus laborantem ad meliorem formam redigere; popularem libertatem, vel potius libidinem coercere conati;